

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Infernus 1  
cum fonte primo

Sicut in hoc mundo multi sub uno sole consistunt,  
nec tamen eiusdem solis ardorem equanimiter sentiunt,  
quia alius plus estuat atque alius minus,  
ita illic uno igne non unus est modus incendii,  
quia quod hic diuersitas corporum,  
hoc illic agit diuersitas peccatorum,  
ut et ignem non dissimilem habeant,  
et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat.

Gregorius libro IIII. dyalogorum.

Nam sicut in hoc mundo sub uno sole multi consistunt,  
nec tamen eiusdem solis ardorem aequaliter sentiunt,  
quia alius plus aestuat atque alius minus,  
ita illic in uno igne non unus est modus incendii,  
quia quod hic diuersitas corporum,  
hoc illic agit diuersitas peccatorum,  
ut et ignem non dissimilem habeant,  
et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat.

Gregorius Magnus, *Dialogorum libri IV.*, 4.45.2  
(SC 265, A. de Vogüé ed., p.160, ll.8-14).